

dendo a controversia quae inter utrosque vigeat de quibusdam S. Scripturae partibus atque ab alterationibus quae forsitan in exemplari tangendo reperiantur. Idem patet e responso quod S. Inqu. 23 Febr. 1820 (Coll. P. F. n. 1834) dedit episcopo Quebecensi : non esse inquietandos fideles Canadenses qui, pro inolito more, tangant et osculentur Biblia protestantica quae ipsis a publicis officialibus, seu civilibus, seu militaribus, exhibeantur quando iuramentum emissuri sint. Idem tamen tactus per se prohibetur : est enim quaedam species communicationis cum haeticis in rebus sacris vel mixtis. (n. 198) Quare per se illicitum putamus hoc iuramentum super Biblia protestantica praestare, praesertim si adulteratum esse sacrum textum innotescit. Sed si ratio quaedam gravis urget, ut puta quia per illam societatem obtinebitur bonum magni momenti, ex. gr. mutua assecuratio, quod medio prorsus innocuo obtineri non posset, licite hoc iuramentum edi arbitramur : plerumque enim sat tenuis species adhaesionis falsae sectae et sat leve periculum seductionis in huiusmodi communicatione cum haeticis habetur.

Quandoque etiam ingressus cuiusdam societatis illicitus erit unice ob periculum perversionis fidei vel morum, licet nihil pravi in ejus fine vel mediis proponatur. In hoc casu malitia non ex intrinseca societatis natura, sed plane *extrinsecus* advenit atque a vitiis malove spiritu sociorum oritur.

Tandem, etiamsi societas quaedam non esset prohibita jure naturali (quod solum hucusque spectavimus), illicita fieri posset *ob positivam prohibitionem* cui eam subiecisset Ecclesia vel Status. Evidenter enim postulat boni communis incolumitas ut ambae societates perfectae imperfectas prohibere possint quotiens, ob justas causas, timent ne bono cuius curam gerunt, spirituali nempe vel temporali, noceant. Verum prohibitio, ab auctoritate civili lata, non raro mere poenalis erit. (n. 141) Eadem manifeste irrita foret si ferretur in societates quae exclusive subsint Ecclesiae, qualia sunt instituta religiosa, confraternitates et associationes piae, etc.

2° Ubi constat aliquam societatem esse illicitam, generatim graviter peccat qui illam, malitiae conscius, ineat : notabiliter enim cooperatur ad rem graviter malam. Attamen quandoque parcendum erit bonae fidei plurimorum qui non satis percipiant quid mali in his coetibus contineatur : quod praesertim usu venit ubi de societatibus politicis vel specie tenus mere oeconomicis agitur. Cfr. Assert. III, 8°. Pariter per se sub poena denegandae absolutionis exigendum est ut qui huiusmodi societates ingressi fuerint iis nuntium mittant vel saltem se ab omni interventu in earum coetibus et operationibus subtrahant, ut per se liquet. Attamen, si quando vere urgentes rationes id suadeant, puta quia societatem deserentes pecuniae haud modicae a se collatae, ad subsidia tem-

pore morbi vel senectutis accipienda, jacturam paterentur, quandoque aliquas relationes cum huiusmodi societatibus servare licebit : quod sedulo in singulis casibus, si deficit S. Sedis vel Ordinarii statutum, dijudicare debet confessarius, collato incommodo abrumpendi quaslibet relationes cum scandalo vel periculo earum quae ad illud incommodum vitandum conservandae essent. (1) Quodsi reatus ineundae societatis unice oritur e malo spiritu sociorum vel ducum, obligatio abstinendi vel recedendi ab ingressu dimetienda erit e regulis generalibus quae de relinquenda peccandi occasione remota vel proxima dabuntur Vol. II. n. 371 seqq.

Sacerdotibus, iis praesertim qui curam animarum gerunt, officium incumbit praemuniendi fideles, praesertim juniores, ne se societatibus illicitis illaqueari sinant et eos qui jam illaqueati fuerint a tanto malo retrahendi. (2) Singulas vero societates, quae nullo S. Sedis vel Ordinarii iudicio reprobatae fuerint, publice denuntiare, tamquam sub gravi vitandas, non est privati sacerdotis, nisi res sit plane evidens, ut puta ob finem aperte malum quem prosequantur. (3) Ubi enim alicui vel levi dubio locus esse potest, postulat Ecclesiae bonum ut abstinence a

(1) Ita S. Inqu. postquam 20 Aug. 1894 (Act. S. S. t. 28. p. 438) reprobaverat tres societates Americanas operariorum (Odd Fellows, Sons of Temperance, Knights of Pythias), iterum 18 Jan. 1896 (Act. S. S. t. 28. p. 699) respondit : in casibus particularibus tolerari posse ut fideles qui iisdem societatibus jam adscripti fuerint, ad grave damnum vitandum, nomen suum in sociorum catalogis retineant et in taxa statutis temporibus solvenda perseverent, interim vero a quavis sectae communionem et a quovis interventu, etiam materiali, abstineant.

(2) De secta Massonum sectisque affinis praclare docet Leo XIII (Encycl. *Humanum genus*) : " Parentes, magistri pietatis, Curiones inter christianae doctrinae praeceptiones insistant, Vobis auctoribus, opportune commonere liberos et alumnos de ejusmodi societatum flagitiosa natura, et ut mature cavere discant artes fraudulentas et varias quas earum propagatores usurpare ad illaqueandos homines consueverunt. Immo qui adolescentulos ad sacra percipienda rite erudiunt, non inepte fecerint si adducant singulos ut statuam ac recipiant, inscientibus parentibus, aut non auctore vel Curione vel conscientiae iudice, nulla se unquam societate obligaturos .. Reapse enim institutio in prima juventute data, praesertim dum accurate ad primam communionem praeparantur pueri, unicum medium efficax est ut altas radices in mente populi christiani agat obligatio denegandi nomen iis societatibus quae, sub specioso temporalis emolumenti praetextu, tot animas in apertam impietatem rapiunt.

(3) Statuerunt PP. Concilii Baltimorensis III (n. 255) : nullam societatem nominatim denuntiare posse tamquam sub censura vel saltem sub peccato gravi vitandam, nisi Ordinarius rem ad coetum Archiepiscoporum retulerit ; qui nisi unanimes pro damnatione steterint, recurrere debeant ad S. Sedem ut iudicium certum accipiant et disciplina uniformis in omnibus provinciis servetur. Cfr. totam § 1. De Societatibus inhonestis (Tit. VIII. c. 3).

deneganda absolute iis qui talem coetum ingrediantur : si enim res evidens non est, ab aliis sacerdotibus contraria sententia tenebitur, atque e tali dissidio pastorum nascentur scandala fidelium et contemptus sacramentorum. Generatim tamen enixe hortandi erunt poenitentes, ii praesertim qui de ea re interrogaverint, ne ingrediantur societates aliquatenus suspectas : quotiescumque enim vel secretum quaerit societas vel ducem spiritus malignus esse noscitur, plurimum timendum est ne lateat anguis in herba.

SECTIO V. — DE QUINTO PRAECEPTO.

360. Quintum Decalogi praeceptum formaliter negativum est, ut patet ex ejus formula : “ Non occides. ” (Ex. XX, 13) Prohibet igitur *primario* homicidium seu quamlibet injustam hominis occisionem; *secundario* omnem injustam laesionem corporis proprii vel alieni, ut vulnerationem, mutilationem, etc. At, quoniam mors etiam per meram omissionem curae necessariae inferri potest, hinc idem praeceptum est virtualiter quoque positivum et praecipit ea quae necessaria sunt ad servandam vitam propriam vel eorum quorum curam temporalem unusquisque gerere debet.

¶ Potissimum tamen insistendum erit officiis negativis : quippe quae gravioribus peccatis et difficilioribus dubiis ortum dare solent.

CAPUT I.

DE SERVANDA VITA PROPRIA.

§ 1. DE PROPRIA VITA NON LAEDENDA.

361. I. Suicidium in se seu directe voluntarium est graviter illicitum, excepto tantum casu quo homo dominium in propriam vitam a Deo acciperet vel (probabiliter) ab auctoritate civili justam mortis sententiam in se exsequendi licentiam haberet.

Suicidium in se voluntarium hic sumimus eo sensu quo dictum est n. 10, nempe ita ut mors appetatur immediate in seipsa, tamquam finis vel etiam tamquam medium ad aliquem alium finem, puta ad vitandam mortem atrociolem.

Ratio potissima ob quam suicidium *generatim prohibitus* est, desumitur ex injuria quam infert Deo qui solus est directus et absolutus humanae vitae dominus. (2. 2. q. 64. a. 5) Cfr. philosophos morales fusius agentes de hac veritate, quae, licet e christiana doctrina certissima sit, non ita facile, saltem in sua universalitate, demonstratur.

Prior exceptio, vid. pro casu quo homo dominium in propriam vitam a Deo acciperet, per se patet (n. 34) et a multis adhibetur ad explicandum quomodo aliqui Sancti, ex. gr. S. Apollonia, seipsos occiderint ut ostenderent animi promptitudinem in suppliciis vel periculum castitatis evaderent. Alii autem divinam hanc inspirationem gratis asserunt autumantes, rectius eadem facta explicant per ignorantiam invincibilem, quae in tali argumento facile adesse potuit : siquidem non est tam evidens directam illam sui occisionem esse illicitam, etiam ad servandam castitatem aliave bona magni momenti. (n. 131; Lessius, de Just. et J. l. 2. c. 9. n. 23)

Posterior exceptio, vid. pro casu quo reus ab auctoritate civili justam mortis sententiam in se exsequendi facultatem haberet, a plerisque AA. (ex. gr. Lugo, de Just. et J. disp. 10. n. 12) rejicitur ob rationes varias, quarum nulla stringens videtur. Nos eam saltem probabilem censemus cum Vasquez, Elbel aliisque AA. quos citat, neque improbat S. Alph. (n. 369). Praecipua ratio est quod, quando homo ob causam justam a legitima auctoritate damnatus est, iudex (spectato jure naturali) cuilibet committere potest sententiae executionem; ergo eam etiam reo permittere potest, non tamen imperare, siquidem id nimis inhumanum foret. Neque apparet quomodo secum constant AA. id negantes et tamen concedentes reo ut ipse sumat venenum, si hac ratione perire jussus sit : nam non minus se interimit qui venenum stomacho infundit quam qui pectus gladio transverberat. Inefficax quoque est ratio cui innotuit Lugo (l. c.) : neminem posse exercere justitiam punitivam in seipsum, quia justitia debet esse ad alium : siquidem nihil impedit quominus idem duplicem personam agat, punientis et puniti, ut notat Palmieri. (Ball. P. n. 29) Sic, licet jurisdictio per se sit ad alium, Papa tamen secum in voto dispensare potest.

362. II. Licet aliquid de se indifferens facere ex quo sequatur mors propria, sed saltem aequae immediate alius effectus bonus, dummodo mors non intendatur et adsit ratio sufficiens ad effectum malum permitendum. Sed graviter illicitum est, ubi non urget causa gravis boni